

De Libero Arbitrio
CAPITA DISPUTATIO-
nis ordinariæ, proposita in Aca-
demia Argentoratensi, à

IOHANNE PAPPO DOCTORE
Theologo.

RESPONDEBIT DE HIS, CHRISTO SER-
uatore iuuante, prid. Cal. & vii. Id. April. GEORGI-
VS Locamerus Neostadiensis, Palatinus.



ARGENTORATI
Excudebat Nicolaus Vvyriot.

ANNO M. D. LXXXII.

De libero Arbitrio
CAPITA DISPUTATIO

in ordinata, propoliam Aca

IOHANNES PAPPO DOCTORE

Theologo.

RESPONDEBIT DE HIS CHRISTO SER
receduntur, pnd Cal & m. Id. April. GEORGI
V & Locumtenens Necessarius P. J. J. J.



W B P
O P O I S

ARGENTORATI

Excusavit Nicolaus Vysner

ANNO M. D. LXXII.

Theses de libero Arbitrio.

Thesis I.

Liberi arbitrij appellatio, e Philosophorum Scholis, ad doctri-
nam Ecclesie traducta est.

II.

Significat autem Liberum arbitrium: alia s quidem ipsam Ra-
tionis, siue Intellectus nostri, atque Voluntatis substantiam.

III.

Qua significatione, Hominem Liberum arbitrium habere,
hoc est, intellectu & voluntate preditum esse, nemo dubitat.

IV.

Alias autem Liberum Arbitrium, significat & αὐτεξουσίαν, siue
facultatem atque vires istarum Animæ potentiarum, Rationis
quidem, ad malum bonumq, discernendum, Voluntatis verò ad
vtrumuis eligendum.

V.

Qua significatione, Liberi Arbitrij vocabulo, in hac questione
vrimur: referturq, nomen Arbitrij ad Rationem, Liberi autem
ad Voluntatem, αὐτεξουσίας denique ad ipsas: tam Rationis, quam
Voluntatis vires, atque facultatem.

VI.

Controuertitur autem inter Theologos, an huiusmodi Libe-
rum arbitrium Homo habeat.

VII.

Ad huius Questionis explicationem, duplex afferenda est di-
stinctio: una temporis: altera actionum.

II X.

Homo enim temporis ratione quadrupliciter consideratur: an-
te Lapsum, post Lapsum, post regenerationem, post resuscita-
tionem ex mortuis.

IX.

Actiones autem hominis, circa quas Liberum versatur arbi-
trium, alie naturales sunt, alie ciuiles, alie deniq, Spirituales.

A ij

X.

Naturales sunt, quas medias etiam vocare solemus, quæ secundum naturam, à quibusvis communiter, eodemque modo fiunt, & neque ad bonum, neque ad malum propriè tendunt, cuiusmodi sunt, Edere, Bibere, Stare, Sedere, Progredi, Colloqui, &c.

XI.

Ciuiles, siue externæ sunt, quæ cum vita tantum præsentis rationem relationemque habent, & quodammodo intra eius fines continentur, ut sunt Politica, Oeconomica, Mechanica, &c.

XII.

Spirituales denique sunt, quæ propriè ad cultum Dei, & salutem animarum pertinent, ut Credere in Deum, Inuocare Deum, Bonis operibus studere, &c.

XIII.

Ante lapsum igitur, quodcunque harum actionum genus spectemus, Homo liberrimum habuit arbitrium.

XIV.

Non enim modo naturales illas, & ciuiles actiones liberrimè exercere poterat.

XV.

Sed etiam quoad tertium actionum genus, secundum imaginem & similitudinem Dei conditus erat. Gen. 1, 17. in Iustitia & sanctitate veritatis. Eph. 4, 24.

XVI.

Sic ut in ipso, diuina iustitiæ & sanctitatis radii lucerent, ut & Deum Creatorem suum verè agnoscere, & eundem perfectæ iustitiæ colere, præceptisque eius perfectè, si vellet, posset satisfacere.

XVII.

Eratque obedientia illa non coacta, sed spontanea: unde & ad malum sese à Deo poterat liberrimè auertere.

XVIII.

Talem autem Hominis primi fuisse libertatem, & præceptum illud ostendit, ne de Ligno scientiæ boni & mali comederet: & comminatio præcepto addita, Quocunque die comederis ex eo, morte morieris. Gen. 2, 17.

Vt

XIX.

Vt autem Deus peccati autor propterea minimè censendus est, quia hanc Libertatem Homini attribuit.

XX.

Ita neque Homo, etiam si in integritate sua perstitisset, gloriari in seipso potuisset: sed tantum in Deo Creatore.

XXI.

Lapsum autem, & spontaneam primorum parentum à Deo auersionem, iustissimo eius iudicio, secuta est horribilis Natura humana corruptio: sic, ut siue vires corporis, siue animæ potentias consideres, à planta pedis, usque ad verticem capitis, nihil sanum sit, in vniuersa hominis natura. Ies. 1, 6.

XXII.

In actionibus tamen illis primi generis, siue Naturalibus, quælecung, reliquum est liberum arbitrium.

XXIII.

Possunt enim etiam non renati, pro suo nutu ea, quæ ad conseruationem Naturæ iudicant necessaria, perficere: teste ipsa experientia.

XXIV.

Licet hoc ipsum sine vniuersali Dei auxilio non fiat. In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus. Act. 17, 28.

XXV.

Quod inde etiam manifestum sit, quia sæpè in ipso cursu hæ actiones, ordinante DOMINO, abrumpuntur: ut impius rex Ierobeam, cum manu extenta iuberet Prophetam comprehendere, retrahere illam ad se non potuit. 1. Reg. 13, 4.

XXVI.

Similiter, & in secundi generis actionibus, Homo non renatus aliquid usque, progredi potest, & externam quandam disciplinam præstare.

XXVII.

Huc pertinent Leges multarum Gentium, Virtutes item Gentilium, multorum celebrata testimonia, cognitio insignis liberium disciplinarum, &c.

A iij

Atq; hac est illa Iustitia carnis, de qua sapè Paulus: & Phari-
seorum atque Scribarum: qua meliorem requirit Dominus,
Matth. 5, 20.

XXIX.

Gentes enim, qua cum Legem non habeant, naturâ, qua legis
sunt, faciunt, ea legem non habentes, sibi ipsis sunt Lex, ostenden-
tes opus legis scriptum in cordibus suis. Rom. 2, 14, 15.

XXX.

Quamquam in hoc etiam gradu manifestum est Dei auxilium,
qui nunquam se finit esse ἀπαρτοπον. Act. 14, 17.

XXXI.

Et sine eo auxilio, Homines non renati, sibi ipsis, suoq; iudicio
carnali relictî, plurimum hac etiam in parte aberrant, & fru-
strantur per cogitationes suas. Rom. 1, 11.

XXXII.

Nam & Concupiscentia tanta vis est, ut malis affectibus se-
pius obtemperant homines, quam recto iudicio: & Diabolus, qui
est efficax in Impiis, ut ait Paulus, Eph. 2, 2. non desinit incita-
re hanc imbecilem naturam ad varia delicta.

XXXIII.

Et licet speciali Dei auxilio, egregias aliquas actiones, siue vir-
tutes morales præstent: minimè tamen per eas ad iustificationem
se se præparare, aut gratiam Dei ullo modo promereri possunt.

XXXIII.

Falsumq; est, quòd Scholastici Theologi asseruerunt, non pec-
care hominem, qui facit opera præceptorum Dei extra gratiam,
& talibus operibus deberi remissionem peccatorum, & iustifica-
tionem.

XXXV.

In tertio autem genere, siue Spiritualibus actionibus, Homo
non renatus, non liberum, sed servum habet arbitrium.

XXXVI.

Non solum enim viribus suis ea, quæ ad Deum agnoscendum
& colendum pertinent, præstare nullo modo potest, verum etiam

nec

nec intellectu percipere, nec voluntate sua eligere.

XXXVII.

Animalis enim homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei, 1.
Cor. 2, 14. neq; sumus ex nobis ipsis idonei cogitare quicquid, tan-
quam ex nobis ipsis: sed si ad aliquid idonei sumus, id ex Deo est.
2. Cor. 3, 5.

XXXVIII.

Imò Homo non renatus, servus est peccati, & mancipium
Satana, ita ut peccata nullo modo vitare possit, aut à Diaboli la-
queo, quo captus tenetur, ad ipsius voluntatem, sua sponte respi-
scere. 2. Tim. 2, 26.

XXXIX.

Huc pertinent, tam tristes & toties repetita accusationes Na-
ture nostræ corruptissimæ, per omnem viriushq; Testamenti Scri-
pturam.

XL.

Cum autem scriptura Hominum arbitrio ac voluntati impu-
tat, quòd oblata beneficia non accipiant, verbo DOMINI non
obediant, neq; ambulent in lege eius: nequaquam inde concluden-
dum est, Homines non renatos, eadem ratione, bene etiam agere
posse.

XLI.

Ita enim servi sunt peccati, ut tamen non coacti aut nolentes,
sed volentes peccent, atq; etiam cupide expetant peccare, & pec-
catis delectentur.

XLII.

Eodemq; modo, ne Exhortationes quidem, aut Obiurgationes,
hinc inde in sacris literis obuia, liberum Hominis non renati, in
Spiritualibus stabiliunt arbitrium.

XLIII.

Sed ad peccati agnitionem non renatos vocant, iramq; operan-
tur. Rom. 3, 20. & 4, 15.

XLIII.

Vnde efficitur, Voluntatem Hominis in Conuersione nequa-
quam concurrere, tanquam efficientem aliquam causam.

Sed

Sed subiectum solummodo esse conuersionis, in quo Deus operatur, & velle, & perficere. Philip. 2, 13.

In quam sententiam accipiendum est quod dicitur, Hominem in conuersione sui, habere sese merè passivum.

Differentia tamen est inter Hominem, & Truncum, siue Saxum: non modo, quia Homo nondum vocatus, aut tractus à Deo, hostiliter ei repugnat: Rom. 8, 7.

Nec tamen ipsa conuersio coacta, aut violenta est, quia etsi Spiritus sanctus inuenit naturam repugnantem: ipse tamen ex nolente volentem facit, eiq; vires, quas in primo Lapsu amiserat, restituit.

Sed etiam, quia non Truncus aut Saxum, aut irrationalis aliqua creatura, sed Homo lapsus conuertitur.

Ist hac Hominis lapsi consideratio, & magnitudinem corruptionis nostrae ostendit: & gloriam omnem Conuersionis, in solidum Deo ascribit.

Neg, tamen vel desidia occasionem cuiquā praeberet, ut neglecto verbo & sacramentis, per quae Spiritus sanctus operatur, expes et raptus violentos.

Neg, rursus temeraria confidentia, aut stulta praesumptio propriarum virium, quenquam labefaciat.

Ut ergo Manichaeorum haeticorum furores dammandi sunt, qui voluntatem malè agendi, nobis à natura ipsa insitam, non ex rebellionem nostram accersitam esse contendebant, ipsaq; peccata necessitati cuiusdam Naturae ascribebant.

Itemq;

Itemq; Stoicorum philosophorum, qui non modo Hominem, sed Deum etiam, quantum in ipsis erat, causarum secundarum vinculis alligabant.

Ita etiam Pelagianorum deliria, ex agro & finibus Ecclesiae exturbanda sunt: qui peccatum Adami, ipsi soli nocuisse asseuerabant: non etiam alijs hominibus, ipsius posteris, nisi solo peccandi exemplo.

Quig, Homini etiamnum post peccatum, Liberum tribuebant arbitrium, quod ad promerendam Dei gratiam sufficiat.

Et licet Gratiam Dei, cum Libero interdum Arbitrio coniungebant: tamen non eam Libero Arbitrio praeponebant: sed infidelis calliditate supponebant: dicentes ad hanc eam dari hominibus, ut quae facere per Liberum iubentur Arbitrium, facilius possint implere per Gratiam.

Neg, Pelagianis meliores sunt Pontificij, qui ipsi quoq; sentiunt, Homines sine Spiritu Sancto posse Deum diligere, & praecepta Dei facere, quoad substantiam actuum.

Atq; adeò gratiam & iustificationem mereri nos posse contendunt operibus, quae ratio per se efficit sine Spiritu Sancto: si non condignè, congruè tamen, ut barbarè loquuntur.

Homines autem Renati, de quibus tertio loco dicendum est: & in naturalibus illis, & civilibus actionibus, non modo retinent id, quod habebant liberum arbitrium: sed etiam multò praestantiores illorum actiones sunt: quia Spiritu Dei, Intellectus & Voluntas eorum iam regitur.

In Spiritualibus autem actionibus liberatum habent arbitrium, ut & Intellectus à Spiritu Sancto iam illuminatus, ea quae Dei sunt, atq; ad salutem aeternam faciunt, possit agnoscere: &

*Voluntas, eodem Spiritu duce, ea qua Dei sunt, velit, & ad bonas
actiones alacriter feratur.*

LXII.

*Neq̃, tamen perfecta est hac restitutio virium Hominis, in hac
vita: sed perpetua manet pugna Carnis & Spiritus.*

LXIII.

*In qua pugna, Spiritus Sanctus quidem accensos, & creatos a
se in nobis novos motus fouet & confirmat: malignus autem Spi-
ritus vitium in Natura reliquum roborare conatur, & ad prius
volutabrum nos reuocat.*

LXIV.

*Opus igitur est nobis perpetua meditatione Verbi, frequente
usu Sacramentorum, & diuini auxilij assidua imploratione, ne
in hac lucta succumbamus.*

LXV.

*In Resurrectione autem Liberatio hac perficietur: ipsaq̃, libe-
rata natura, per gratiam Dei sic confirmabitur, vt amplius pec-
care non possit.*

FINIS.



W B P
O D O L E